St. Dr.

1896

I

CERTAMEN PLANETARVM DE ASTRO TARNOVII

STEMMATIS ORTVM

Inter Peripateum de cœlo & mundo agonem.

SVB

Illuſtriſsimi Domini

D. GABRIELIS CO-MITIS A TARNOVV

CAPITANEI CRACOVI-

ENSIS AVSPICIIS

A

GEORGIO DE SZCZODRZYKOW GODKOWSKI Academico Parthenio

IN

Aula Collegii Karnkouiani Caliſſienſis Societatis IESV habitum.

IVPITER.

Munificum largus poſcit ſibi Iupiter aſtrum.

QVod iubar fulſit? face quâ, coruſco
Æmulus ſoli rutilauit ignis?
An ſerenati patefacta cœli
Splenduit aula?
Fallor? è ſumma ſtatione, lapſa
Lechicis cerno radiare terris
Aſtra, quis tantum Superi Polonis
Auxit honorem?
Quis Iouem noſtro, Briareus reuulſum
Intulit regno? manus auſa tantum
Veſtra TARNOVI, manus Euclianæ
Neſcia ſordis.
Horret adſtrictam nitor ille dextram,
Odit arcanis male parta cryptis
Nec, ſitibundi cui cura Pluti
Viſit auarum.
Creſcat huic nummus, fluat imò toto
Diues in latas Tagus amne ciſtas,
Deque ſpinetis ſeges expetiti
Pullulet auri.
Scilicet gazæ quibus irretorto
Incubat vultu, peperiſſe quidquam

Luminis possunt, nisi temperatos
Promat in vsus.
Queis tenax aurum sepeliuit eisdem
Se cauis texit, procul hanc serenus
Iupiter pestem Comitum, benignis
Semouet aulis.
Huius ad lucem viduat metallis
Regiam, totas dicat imò largus
Præsuli villas Spicimirus, æuum
Largus in omne.
Vidit hos semper radios Polonus
Vidit, & nunquam Iouis imminutum
Lumen ad seros face perstitisse
Compare natos.
Hoc idem sidus GABRIEL propago
Vera maiorum tibi quis negarit?
De triumphata cui parcitate
Debita laurus.
Enitet sacris Tua gaza tectis.
Pauperes, velat tua Vestis, artus
Patriam ditat tua cura, fulgor
Quam bonus Astro?

MARS.

Quam bene Mauorti pugnax adscribitur astrum.

DVlce est pro patria vulnera perpeti
Obiectasse Caput, dulce, periculis

Hoc virtus Lechico sedula militi
    Hoc Mars crebrior accinit
O suaues monitus! ibimus ibimus
(Quantumuis gladiis trames inhorreat)
Ptompti, per medios hostis acinacas
    Concors Sarmatis intonat.
Quid, Voces Comitum dispare personant
Fors desiderio? scilicet ignei
Delatrix iaculi Chaonis alitem
    Imbellem generauerit.
Fortes prouениunt fortibus, est Patrum,
In seris animus, Visque nepotibus.
Ictus opposita queis Scythicos suo
    Auertisse decus fuit.
Vidit Tarnouii nuper adoreas
Lechus, Moschetico ductor in æquore
Cum deuota truci millia Tænaro
    Acri demeteret manu.
Quis non barbarico sanguine pinguior
Campus? Moldauicis arua cruoribus
Quæ non tabuerant? nominis impiger
    Hęres ac animi subis.
Te Bellona ducem prædicat inclytum
Te Mauors GABRIEL milite gestiens
Victrices capiti Daphnidas instruit
    Et se stemmate collocat.
I nunc fædifragis fise cohortibus
Terre Panno, Cracum, despicit impias
Hoc tutore minas, Sospes hic, integra
    Lecho gloria Sospiti,

Mercu-

Mercvrivs.

Mercurio, Sapiens, Sapienti ſtella dicetur.

DElius Entheati
 Verticis præſes, cithara Delius atque lauro
Inclytus, è bicolli
 Cui iugo Daphnin, meritum cui diadema texit?
Artibus & labori
 Debitus ſoli decor hic, deſidiâ lutatum
Vel tetigiſſe crinem
 Abnuit, fallor? nemoris Pierii canorem
Excipio, triumphos
 Cui parat Titan? hederas cui properant Sorores?
Tarnouios canamus
 Intonat princeps Clarius, Tarnonium perennet
Quæque Chelys Mineruam.
 Dixerat, cuncti ſubito per Comitum Monauli
Luxuriantur acta;
 Hic rebellantum reſonant, Tarnouio ſtudente
E domiti furores.
 Prouidis, illud, celebres conſiliis renarrat
Barbiton, hoc recenſet
 Ingenii laudes, Seriem Tarnouium reuoluens
Id ſtudium Camænis.
 Quid chelys Phœbi? Tua ſe gaudet in acta tendi
O Comitum propago

Gabriel.

GABRIEL. Te nunc Sophiæ delicium, clientem
Nunc Eratus, Mineruæ
Aut vocans mystem, vigiles enumerat labores
Quos Lechiæ lycæa
Quos & admirans Latium, cum stadio Platonis
Abripere re, vidit.
Notus hic ardor patriæ, notus amor sciendi,
Quam meritò triumphat
Editus Maiâ reliquos deque tuo planetas
Stemmate pellit. Vmbras,
Quamdiu fulget nitor hic, quid metuas Polone?

SATVRNVS.

Saturno soli Comitum Prudentia cedat.

QVid peruicacis flamina Circii
Dilecta cœlo Lechias horruit?
Quid vela, decertantis auræ
Impatiens plicuisse pugnat?
An æstuantis Leucothoæ furor
Vel quos per vndas imperiosior
Ad signa strongyle citata
Hippotadæ ciet ira, fluctus
Terrere possunt? Doris & Æolus
Coniuret, esto, bellaque suscitent
Tu laureatâ Leche sæuum
Proruito rate tutus æstum.

Sunt qui proteruas frangere Tethyos
Solerte possint consilio minas.
Sunt qui Charybdes prævidere
Eualeant procul, Argonautæ:
Sunt prosperi inquam Sarmatidos rati
Ignes polorum, dextraque sidera.
Inauspicatas faustiore
Quæ reprimant Hyadas nitore.
Cernisne quantus se Comitum polo
Oras in omnes exsinuet decor.
Quam læta, represso furore,
Quem renouat Scytha, pollicetur?
Maturioris nescia consilii
Sic nempe virtus mole ruit sua
Florebit æternum triumphis
Et stabili fruitura sceptro
Propago Lechi, cui tot adoreas
Amica Pallas, raraque contulit
Prudentiæ vis; vis rebelles
Barbariæ domitura nisus.
Laudem quis isthanc inclyte GABRIEL
Tibi negarit? quem Clarius sinu
Clioque fouit quem Sophiæ
Sicelides, columen, fatentur.
Certat planetis consilii parens
Saturnus, vni, stemma Tuum sibi
Dedi laborans, vim quod acris
Iudicii Tibi cernat esse.
Te te irretorto, sidus amabile
Spectet Polonus nauita, lumine.

Te quis

Te quis quis odit naufragari
Sarmaticam cuperet carinam.

VENVS
Gratos effecit virtus, & casta Dione.

LYmphis & igni quanta sortito data
Vero fauori contigit
Tecum, superbe, quis quis es, discordia.
Lupos & agnos iunxeris
Vestamque Neptuno prius sociaueris
Fastidiosæ, quam Charin
Diffarreatam vinxeris superbiæ.
Timere quamuis leniter
Abblandiatur fastus omnis imperat:
Fugis hanc? amorem Comitas
Sed quæ dolosa nesciat tectoria.
Virtusque sola comparat.
Hac duce, triumphis laureatus Moschicis
Illud Gradiui corculum
Tarnouius, inter gratulantum epicinia,
Regimen Poloni militis
Accepit, offerente clauum Lechia.
Quid non eodem prodromo
Te perbenigne, consecuturum Comes
Fidamus? exulat tumor
Superciliique grandis arrogantia
A fronte cuius, vnica

Defixit arce, regiam, clementia.
Amoris an non tessera
Quod nec petenti patria culmen obtulit?
Simul coruscum stemmatis
Tui refulsit sidus, actutum caput
Infame cryptis occulit
Inuidia, crescit illud & cunctos sui
Iynge splendoris trahit
Tam grata Lechis stella, non recte Venus
Exinde nuncupabitur?

SOL.

Sol, mihi detur ait, qua luceo, lucet & illud.

VIden vt minax procellis
Licet acer inde Caurus
Pluuialis inde pontum.
Auster agat, veliuola, nauta secet, carina
Ruit ille per Sarissas
Scytha seu lacessit atrox
Tuba seu trucis Geloni
Increpuit, nec sobolis nec propriæ salutis
Memor, hic colit superbos
Procerum, soporis expers
Aditus, loquacis ille
Bella fori concilians, verba locat, popello.
Quid? inanior Camæna
Sua

Sua quos ad arma traxit
Cui se negant labori?
Vt soliti tabificis inuigilare chartis?
Studii petis brauium?
Emitur labore tanto
Operisque fama sola,
Hæc cierit, dulce labor, dulce dolor. sequenti
Animas o insolentes
Ea scilicet, petenti
Via gloriam, terenda
Integritas cui placuit, laudis iter capessit
Plaga quæ silet triumphos
Sola quæ tacent honores
Comitum? quis extulisse
Tarnouium non satagit, gesta Ducum, sub astra?
Lechici loquentur agri
Vada Russa prædicabunt
Asiatico cruore
Quæ toties his Ducibus tabuerant, quid Istrum
Comites, canam pauentem?
Vel Obertinos triumphos?
Probitas quod vna corde
Floruerit, seu Geticam reprimerent sagati
Rabiem, seu togati
Patria forent, celebres
Lechiæ, quid? imo toto
Orbe iubar Tarnouium corradiasse constat,
Tibi quis neget paternum
GABRIEL decus, paternæ
Cui tanta cura laudis?

Perge, parat promeritam laus capiti coronam.
Radiare sueta, semper
Radiat modoque stella
Nihil inuium nitori
Tarnouio, nil nebulis nocte nihil teneri
Proprium quis esse nescit
Tibi sol? quis ergo tantam
Comitum dedisse stellæ
Vim potuit? iam teneo, semper amata virtus

LVNA.

Vni stemma negat, dat cunctis Luna planetis.

O Magna magni progenies Iouis
Dictinna, lassum quæ, simul axibus
Phlegona Titan vendicarit
Vmbri fugis super alta bigis
Euecta, noctis nubila temperas
Interque stellas lumina partiens
E maceratos sole flores
Rorifero recreas tepore
Refer, supernâ Cœlituum domo
Quis te refixam Sarmatidi tulit
Titonus? astris quis coegit
Posthabitis coluisse Lechos?
Non hæc caduci gloria roboris.

Virtutis

Virtutis isthæc laurea, Lechicis.
Quæ culta regnis, noctilucam
Tarnouio sociauit astro?
Felix perenni lampade Sarmatis
Vtroque felix sydere GABRIEL
Hinc luna fulget, inde stella
Quos radios ab vtraque sperem?
At qui vocabo sidus id? æmulas
Audisne voces Cynthia? stemmate
Dumquisque decertans, reponi
Tarnouio, satagit planetes.
Effare iungi quis tibi dignior?
Vnus ne, seno lapsus ab ordine
Hic splendet, an quid quid per omnes
Extat, in hunc coiisse credam?
Non fulgor vni tantus inest, ait.
Et vis planetæ, quid quid in omnibus
Molitor æthræ sparsit, vna
Hoc Comitum sibi stella poscit.
Hæc bellicosis mentibus influit
Hæc ad fauorem Pieridum potens
Excire, deuincit suorum
Hæc animos, beat arte mentem
Fulge paternis clarus honoribus
Tuis coruscus viue decoribus
Terris refulge, viue Cœlis.
Delicium GABRIEL polorum.

Ad Maiorem Dei Gloriam.